

**Lapis Lydius animadversionum expertissimi / A. Stochii ... in ... J. Gorteri ...
brevem ejus descriptionem et curationem morbi epidemii per diaphoresin.**

Contributors

Vosch, H. R.
Gorter, Johannes de, 1689-1762.
Stochius, A. active 1730-1734.

Publication/Creation

Harderwijk : W. Brinkink, 1734.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/x3jprvn9>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

LAPIS LYDIUS

*Animadversionum Expertissimi
DOMINI*

A. STOCHI.

Medicinæ Doctoris in
Cel. DOMINI

J. GORTERI. A. L. M.

Nec Non

Med. Professoris Ordinarii.

BREVEM EJUS DESCRIPTIONEM

ET

CURATIONEM

MORBI EPIDEMII.

PER

DIAPHORESIN

AUCTORE

H. R. VOSCH, VAN AVESAET, Med. Stud.



HARDEROVICI,

Apud GUIL. BRINKINK, Bibliopolam & Typ. 1734.

30

Yale University

Manuscript Library

MS. C. 8. 2

Oct. 3

1882

1882

1882

1882

1882

1882

1882

1882

1882

1882

1882

1882

1882

1882

1882

1882

1882

1882

1882

1882

1882

1882

1882

1882

1882

1882

LECTORI SPECTATISSIMO.

S. P.

Am perversæ indolis, tamque perditorum
morum hominem, qui ignotos non solum,
sed & infantes, ut nos sumus, aggredi
& calumniari dilectatur, propriis id nisi
meis oculis intuitus fuisset, inveniri, haud facile
credidisset: qui nos inquam ipsi ignotos hoc tur-
pissimo semi-latinorum nimirum ac idiotarum,
vocabulo dedecorare nullo pudoris colore suffusus
conatur.

Ut maledici hujus ergo hominis libidinem infrin-
gam, fallacisque ipsius calami detestabilem arro-
gantiam suffocem, eruditisque lectoribus pateat,
quid sit de decreti hujus veritate, exiguum hocce
opusculum non nunquam in lucem proditurum volui.

Attendant interim, quam præcipite lapsu è cel-
sissimo honorum cacumine, quod per insanam disser-
tationis suæ scalam, ut saltem sibi imaginatur,
scanderit, in imam, ac profundissimam maris aby-
sum cum infelici ICARO præcipitaturus sit. Ferre
equidem agrè Expertissimus Auctor non poterit,
quod si de semi-latinorum ac idiotarum agmine u-
nus, ut sum, turpissimos ipsius errores eruat: Sciat
enim me nunquam ipsi insultare ausum fuisse, nisi
& primus nos fuisset aggressus; qua propter & de-
fensoris partem tenere, & nos ipsos defendere,
quan-

quantum in me est, non erubescam. At quis jure
quæreret quam ob rem ipse CEL. PROF. sua ipsius
non defenderit documenta; an hæc timore præcinc-
tus præ scribendi Auctoris concinnitate sua submit-
tens STOCHIO victoriam dereliquerit? ast reipul-
chritudo non lateſcit sub eloquentiæ formâ. An
ergo doctrinâ doctori dissimilis reformidet ipsius as-
tutiam? astutia pro ut hæc quibusdam quoque bru-
tis propria rationalem prudentiam disjunctam sibi
habens, & ut vis verbi, istud non multum honeste
significare, indigit, floccisit. Quid ergo?

Videns PROF. totam dissertationem meram con-
plecti confusionem, & Auctorem invidiosissimo ve-
saniæ telo sauciatum, mirum in modum furere, ne
itaque vindictæ desiderio immanem ejus rabiem ul-
terius instigaret, aliisque prætereà longè utiliori-
bus occupatus, maluit hasce insanè contextas Au-
ctoris quærelas tranquillo animo supersedere, quam
sua majoris mercedis has improbando negligere.

Hæc ergo sunt causæ, quæ, ut contra immanem
hunc ac impudentem nostrum hostem calamum sus-
ciperem, me impulerunt. Si quos forsan commis-
sem errores, quod pro hac vice prima contingere
raro minimè potuisset, quam ut hi rudi, idiotæ,
ac semilatino mihi condonentur, Lectorem nihil
vehementius rogatum volo; feliciter interim diu
vivat.

LAPIS

L A P I S L Y D I U S

Animadversionum Expertissimi

D O M I N I

A. S T O C H I I

Medicinæ Doctoris

I N

Cel. D O M I N I

J. DE G O R T E R A. L. M.

Nec Non

Med. Doctoris & Professoris Ordinarii.

D E

MORBO EPIDEMICO.

I.

Priusquam inconsuetum ac fastidiosum nimis præ meo luctu proh dolor coactus hoc ipsum aggrediar opus, quædam ex Auctoris præfatione, quibus exte, haud multa suorum contradicto-

A riorum

riorum aggregatione opus, innotescet, quo proposito, quo animo, quâ denique mente hanc suam dissertatiunculam mira rerum colluvie conflatam conscripserit, ponderanda sunt: fari enim non erubescit in principio se ex morbo sibi satis familiari decubuisse, quo igitur pacto oblatos sibi ægros visitare non valuit, attamen Epidemici hujus morbi descriptionem edere non quievit, quo tunc quoque ipsi perscrutari propri coram decumbentium lectis non licuit. **I**nivit quidem consilium cum filio sue urbis suæ medico ordinario, ut fatetur quod si B. L. legerent, aut prælegi audirent, judicarent hunc forte verum a præ cæteris præstantissimis medicinæ cultoribus medicum expertissimum; verum præsciant hi ordinarium hunc Enchusæ urbis medicum paucas, ne nullas dicant Accademicas frequentasse lectiones, cuius ergo consiliis expertissimus Aucto Stochius palliatus ac instructus aggreditur Epidemici hujus morbi descriptio nem; quâ omni conamine Cel. Profel nost.

nostrī ejusdem morbi descriptionem ipsius contrariam reprobare laborat, qui ipse multos vidit curavitque ægros; adeoque inexpertus expertum, doctor Professorem carpit, quā autem mente, cuique L. dijudicandum relinquo.

Inferius dicit *planè novam methodum curativam* se invenisse, sed fallitur, nam omnibus ferè in morbis Epidemicis conati sunt Auctores practici alexipharmacis & sudoriferis suscepit malignitatem expellere: imo ille ipse Auctor, ut patebit, sæpiissimè de hâc nova methodo cogitavit. Pergens in fine notabilem se commisisse errorem luget, quasi præter hunc unum non plures, unicum tantummodo grandissimum, nimirum à principio ad finem, quo adscriptam malignæ aeris qualitati constitutionem Cel. Professoris nostri non solum, verum etiam contra aliorum omnium præstantissimorum practicorum observata manibus pedibusque obtrudere fatauit.

II. Ut itaque methodum Expertissi-

mi Auctoris nostri, ejusque ordinem,
quem ipse tenet, æmuler, eumque à
capite ad calcem persequar, præfari
Auctoris sententiam necesse autumavi;
adeoque à magnificis hisce inchoabo

s. II. ipsius dictis, *Morborum Epidemicorum*
historiam describere, merito institutum u-
tilissimum habetur, ac laudabile. Si hæc
simplici ac sincera mente, etiamsi debi-
tè, laudet, cur igitur in Cl. Profess. ob-
servationes, talia præstantis, insurgit?

s. IV. *Dolendum itaque, ait, post venerandum*
Hippocratem sequentium temporum practi-
cos Epidemica adeò negligenter tractasse.
Quis nunc vestrūm L. H. has insolens-
tes, & intolerabiles ne dicam, Au-
ctoris quærelas non irrideret? ejulat de
negligentia Epidemicorum morborum
scriptorum, & de eorum in revelan-
do posteris suorum temporum Epidemi-
carum constitutionum casus & obser-
vationes pigritia. Sed ecce! (præte
ipsius sibi contradicendi normam, dun-
dicit ac insigniter laudat diligentian
conscrivendi Epidemicorum Morborum

con-

constitutiones, Sydenhamii videlicet & Ramazzini, qui tam eruditè suarum regionum constitutiones divulgarunt) fateri non erubescit sibi cum cæteris sui similibus hæc in lucem allata, & ab ipso Auctore citata horum Auctorum deficere scripta. Præter hæc en adhuc aiorum medicorum observata ex Ephemeridibus naturæ curiosorum de-
rompta.

Epidemica constitutio ruralis Anni 1690: dec: 2: an: 9. p. 17: app: seqq: anni 1691: dec: 2: an: 10: p: 76. app: seq: Epidemicorum Morborum Procreatio dec: 2: n: 7: p: 178. 193. Epid: Catarrhus dec: : an: 9: p: 203. Epid. Morb: dec: 3: an: : p: 102. Epid: dysenteria torminosa lec: 3: an: 1: p: 103. &c. præterea recenes scriptores, qui præsentes constitutio-nes cum omnibus earum adjunctis diffi-
cultatibus auxili gratiâ describunt, omni conamine injuriat.

III. *Haud mihi propositum est consummatam s. v.
lescriptionem in medio proferre. Quia scili-
et ex familiari Morbo decumbens, cum-*

que nullos intuitus fuerit ægros; fractis
prostratis viribus hoc grave onus luctent
re non potuit: Cujus omnem in C.
Profess: effundens bilem non mentis sui
ut jam jam puerile hoc Auctoris anagra
ma candidius confirmat, cum in M. A.
A. L. M. converterit, Profess: his ad ira
concitari putans, sed falleris Amice, comi
seretur insipientiæ vestræ. Multò minus h
ce Morbis medenai methodum & medicis &
gris præscribere. Auctor non mentis est hu
malo medendi methodum præscriber
quia scilicet Cl Profess. abhorrescit;
aliam componendi, deficiente forsan i
simplicium medicaminum copiā, aliorū
Medicorum irrigsum veretur. Sed qu
jure quæreret, cuius ergo utilit
tis hæc tam insignis Doctoris nos
dissertatiuncula? ut tantum *dissertat*
nem Cl. Gorteri A. L. M. ac Med. Pa
feß: ordinarii mentis lance trutinaret. Si
quis dæmonum, Cl. Profess nostri a
probandi aut reprobandi opera, ha
tam audacter Auctori mentem inci
sit? quis illum librorum censorem s
tuit?

IV. Causam Epidemicæ hujus Constitu-
tionis investigare, ex supradictis, non vide-
tur Mibi multum obscuritatis involvere.

§ VIII.

Stupendum Medicinæ oraculum post
enerandum Hipp: Sydenhamio ipse se
octiorein agnoscit! qui, causam Epi-
demicorum Morborum imperscrutabilem
sle, candide fatetur: nostro verò
Auctori facilis est; volens quippe pro-
are frigus hujus morbi præcipuam fuisse
ausam, hunc Hipp: citat textum, *a fri-
ore reddi corpora firma, agilia & bene
alorata.* Si hæc verba Auctoris causam
pidemici probent, misere circumducor,
contrarium enim explicant: adducere
unc tamen textum voluit, ut, se quan-
oque Hipp: aphorismos inspexisse iis-
que operam dedisse, L: pateret. Si ta-
s Auctoris nostri tota sit theoria, qua-
s hæc aphorismi explicatio, ut posset
er omnino contrarium textum suam
xplicare causam, cunctæ in Medicina
qæstiones difficultimæ inspicienti faciles
nceptu forent. Sequens, quod ex Hipp:
duxerit exemplum nil magis stringit,

quia

quia hic Morbus non ex aëris fre-
quenti mutatione productus, ut Hipp:,
quam antecedens. Quas vero proprio
marte addidit rationes sibi ipsi ita, ut
non indigeant refutatione, contrariantur.

*Austrina & tepida Constitutio potuit Cutis
poros servare apertos &c. unde humores
increscunt, & augentur excretiones & secre-
tiones. ô Amentiam! an possunt excre-
tiones fieri copiosiores, & insuper hu-
mores increscere? quod idem est, ac
si diceret copiam augeri. Ego fateor hanc
œconomiam me intelligere non posse
nisi dicat Enchusæ aliam omnino præter
naturam naturalium rerum dispositionem
observari, quam Hardervici vel ullibi
Qui vel coagulati facile &c. Quis unquam
docuit materiem insensibilis perspira-
tionis aquâ tenuiorem coagulari posse:
nisi Doctissimus Dominus noster casea-
rius velit a gelu vel frigore congelesce-
re; hæc autem congelatio nunquam
Medicis coagulatio appellatur. Si vero
congelatio & coagulatio Auctori iden-
titat sit, æquo jure quæso, si humores it
craf*

crassi facti, spirituumque fluxum animantium per nervos commorati sint, an inde Catarrhus? Si stuporis paralysisve rationem reddere voluisset, hæc sane valuisset sententia; quæ vero adhunc morbum Epidemicum minime spectat.

V. Hæc itaque occurunt verba *in horum Morborum curatione animadverti* §. ix.
materiem morbi inspissatam, coagulatam,
& crassam. Materiem inspissatam & crassam fuisse pro causa proxima concedo, modo aliquid acre tenue addatur, in hoc viscido irretitum vellicans: depravatus hic succus nervosus, ut ad omnes corporis partes tendit, quascunque etiam partes in motum inordinatum concitare potest; hinc quoque humores inspissantur, ut in aliis morbis ex nimio motu obortis, unde etiam omnia illa omnis generis symptomata & illa crusta phlogistica in sanguine ab Auctore citata. Quid autem venæ sectio (: ut loquitur Auctor, *Quibus statim succurrebam venæ sectione & quidem urgentibus symptomatis, bisterve repetita*:) effecerit, sequen-

ti. § inquiremus. Antequam tamen transeam ad aliud, hoc Auctoris mirabile inventum oblivioni tradi equidem non licet, quod *Morbi ex materia insensibilis perspirationis retenta & corrupta, prout ista fuerit variæ indolis, variarunt etiam ejus symptomata.* Sed cum venia Expertissimi Domini Auctoris dico, nos derivare symptomata non ratione varic-tatis materiei insensibilis perspirationis, nam hæc per totam corporis oeconomiam utique eadem fuerat, sed ratione partium, quas ipsa occupaverat. Neque minus paradoxum est, hanc Morbi materiam cum Auctore crassam fuisse, statuere, quam tamen diaphoreticorum ope curare valuit, hoc est, ita attenuare, ut invisibiliter & insensibiliter per exilissimos cutis poros transmeat.

s x. VI. *Laborantes febribus continuis, doloribus pleuritidem mentientibus.* Nulla hic hujus symptomatis demonstratione opus, quoniam in ipso hoc paragrapho paulo inferius Auctor confitetur Morbi tomitem latitare in succo nervoso dicens,
quando

quando *systema nervosum magis quam sanguineum afficitur*: NB dum alter *Phlebotomiam non subiit, bis venam secari jussi*. Hæc cohærent! morbi causa celatur in succo nervoso, & disiectâ venâ hanc ex venis elicere tentat. Quis itaque unquam vitium in succo nervoso latitans venæ sectionis ope educere potuit? Sed quod magis miror, ex monitis Expertissimi Auctoris nostri, an hoc in morbo vena secanda, vel omittenda, etiamsi Oedipus essem, eruere nequeo: ita enim dubium relinquit Lectorem, ut ex his nihil emolumenti capere valeat. Sunt hæc ne signa, ex quibus dignoscuntur medici, quibus naturalis praxis adeò cordi est? *nitrosorum ac diaphoreticorum usu brevi convalescit*. Ni hæc sint contradictoria & omnino opposita, totum me fallet opus: nam iisdem (dum hæc calumniat dicendo, ac planè novam methodum curativam adinveni:) utitur Auctor remediis. Adeò ut in omnibus habito respectu ad diaphoresin non dubitaverit novâ hæc methodo medendi omnes sibi

Præf:
pag: 2

s IX.

oblatos curare ægros. Quid nunc profuit venæ sectio , quoniam secundum propria Auctoris confessa morbi causa latitabat in succo nervoso, unicuique justè dijudicandum offero. Nonne commodius ac facilius per descriptam tantummodo Cl: Profess: formulam , vel saltem si non per hanc, huic similem , id acre & heterogenium expelleretur è corpore? dum expulsâ omnia per experientiam cessabant symptomata? dum phlebotomia non auferebat morbi causam, sed tantummodo effectum mitigabat: & præterea venæ sectio magis obfuit, debitas quippe ac absolute ad discussionem necessarias subtrahebat corpori vires.

S XIII. VII. *Quam Cl: Profess: in Titulo descriptionem vocat, vocat in præfatione historiam.* Miramur sané , quoniam sagacissimus Cl: Profess: Captator cum Eruditis se comparare satagit, dumque ita fatur , *cum pace clarissimi Gorteri dixerim me cum plurimis Eruditis distinguere &c , cortici tantummodo adhærens , me*

S XIV.

medullam insanè tangens respiciat ad hanc distinctionem. *Videtur potius rem obiter tangere.* Quod ipse alium se longe doctiorem docere cupiens ac huic scribendi methodum præscribens tam turpe præscriptæ huic legi peccet, ridiculum est: prius enim, si rem bene ceperit, teneretur historiæ defectum supplere, ut ita Lectori opusculum istud præfuisse perfectius. Evolvi itaque & revolvi totam Auctoris dissertationculam, copiosissimas calumnias, & abundantes, plus quam fas est, sensuum inversiones me quidem invenisse fateor, sed nullibi satis claram aut distinctam morbi descriptiōnem: Et inde non solum rem obiter tetigit, sed tanquam cruentissimus, esatiabili fame devictus spectatam prædam dilacerans leo, invidiosissimas injiciens suas ungues ad extremum minutim totam Cel. Profess. descriptionem decerpit. Ulterius pergit Cl. Profess. hos morbos *Epidemicos* vocare *Sporadicos*, verum, si quis perspiciat & evolvat propria hæc Cel: profess. mei verba, dicentis

cum in principio hujus Epidemiac constitutionis medicamenta, quæ in similibus morbis sporadicis adhiberi solent, experiebar nihil prodesse &c. contrariam mecum fovebit sententiam. Hæc enim idem significant, ac si dixisset, medicamenta, quibus morbi sporadici, qui similibus stipantur symptomatibus, nihil prodesse experiebar: Cl. Profess. enim non mentis fuit, prout, antequam descripscerat hanc constitutionem, modo diu ac sæpiissimè publicis id nobis lectionibus tradiderat, hos inter se confundere morbos.

VIII. Quò qnis penitus Auctoris dissertationem investiget, eò inaniori fastu Lectori turgere videbitur, dicens attamen Cl. Profess. & ego de ea cogitavimus: ac probè novi multos juniores & annosiores medicos ea cogitare. Ac contra medicæ artis dignitatem affatur insensibilem perspirationem tonsoribus esse notam adducens Ephimerides. Sed adducat, quæso, unicum duntaxat Auctorem præter Cel. Profess. nostrum, qui ex professo per experimenta insensibilis perspiratio-

nus

nis descriptionem reddidit, eamque examinavit; solus enim SANCTORIUS & JAC. KEIL. experimenta posuerunt, confuso ordine sua observata aphoristicè Eрудito orbi sacrantes: reliqui omnes commentatores sunt. Ephimerides, quas citat, pervolvi, & duo aut tria ad summum, ubi de hac evacuatione mentio fit, detexi: si Auctoris filius Enchusæ urbis Archiater præ familiari morbo perscrutandi aliorum Auctorum opera impotis. Doctori suâ fide exempla hæc ex aliis Auctoribus se detexisse pollicitus fuerit, sine dubio, ut in tradenda morbi historia, sefellit parentem. Præterea sæpiissimè de insensibili perspiratione cum Cl. Professore cogitavit; fortasse quia insensibilis perspirationis materiam §. ix. ter & §. x. bis illucere conatus fuit ex venis.

IX. *Ad elaborandam ergo methodum curativam Epidemici morbi, non tantum requiritur sedula & attenta observatio, sed quam maximè ingens decubantium cōnia.* Si quis jam prudenti mente prædūshæc Auctoris effata perspiciat & evolvat,

vat, an diceret anceps, Auctorem nostrum helleboro opus habere? ad me quod attinet, nullum expurgatorium aut certius exhiberem aut securius. Latrare non erubescit, describentem morborum historias, sedula & attentâ observatione, ac ingenti decumbentium copiâ indigere: verum non recordari videtur hæc requisita ipsi præ cæteris deficere, dum præf. linea prima conquiratur, se tunc temporis morbo sibi familiari laborasse, *decumbenti ex morbo mibi satis familiari &c.* at verò Aucupi literarum nostro hæc requisita æque necessaria esse, imo magis necessaria quam quidem describenti morborum historias, mihi videntur; cum tamen utriusque studuerit: turpes commisisset errores, nisi filio suo urbis suæ medico ordinario, qui 20 dierum tempore Universitate Ultrajectinæ Doctoralem lauream abstulit, adeò fidem habuisset. Addit §. XVI. *minorum verò urbium vel tractuum practici diligenter obseruent.* Hanc, quam aliis nititur præscribere, legem, paulô attentius si inspexisset & explo-

plorasset Auctor, tam ridicula, futilia,
 tamque absurdā non evomuisset in hu-
 jus morbi descriptionem: Sed id ipsi
 condonemus, & cogitemus decum-
 bentium copiam, quosque ægros coram
 eorum lectis non viderit, defecisse, &
 ut ex ipsius scriptis dijudicandum est,
 quosque modo nominetenus novit. De-
 cepturus lectorem ulterius iterum per-
 git, *Ego ipsam banc, vel non multum ab*
bac differentem, constitutionem subitaneum
ac acerbissimum frigus excepisse observavi.
 Solus ergo Auctor contrarium exper-
 tus est contra omnium aliorum expe-
 rientiam, illorum etiam Doctissimo
 Auctori nostro Enchusæ cohabitantium,
 qui non aliud, quam præmaturam præ-
 teritæ hyemis aëris humiditatem, nubi-
 lositatem, ac præter consuetudinem tunc
 temporis calidum se eum observasse, fa-
 teri coguntur.

§. XVIII.

X. *Causam morbi fuisse universalem,*
eamque aëri, ejusque qualitati, non oc-
cultæ, verum manifestæ adscribendam, asti-
pulatur §. xx. In germania decrustatum

C

panem

panem aeri nudo exposuerunt; cum
que 24. horis ibidem pependisset, de-
merunt, & canibus projecerunt: devo-
rantes autem instinctu gulæ canes diris-
simâ mortis lege mulctati sunt. Quæ nunc
rationalis ingenii specimen præ se ferens
creatura hanc aëris qualitatem, non di-
co non universalem, nam utique uni-
versalis fuit, non occultam fuisse crede-
ret? ast ferè statuerem Expertissimum
Auctorem nostrum inter manifestas ni-
mirum & occultas morborum causas hanc
non callere distinctionem.

XI. Aerem humidum insensibilis per-
spirationis materiem in corpore retine-
re, hæc est Cl Profess. nostri sententia;
cui insensissimus noster adversarius his-
ce contrariatur verbis *aërem calidum cu-*
tis poros aperire, frigus verò eos occludere,
receptissimum est. ô Lepidum caput! vi-
detur hic pro forma quid solummodo pro
quo oppositum, nam requisita, & abso-
luta Epiteta, sine quibus nil probat nec
refutat, sponte ea ipsum oblivioni tra-
didisse, ut nempé contrariandi dempta
jace-

jaceret occasio, firmissimé tenemus. Sed amice sic non itur ad astra: aerem calidum simul & siccum non esse impedimento insensibilis perspirationis exhalanti materiæ, sed è contrario cutis poros magis aperire, & insensibilis perspirationis exhalationem plus promovere, receptissimum esse, auctori assentimus. Calidum verò & humidum, in his consistit tam latâ hæc nostrûm discepantia: tepore enim aperit cutis poros, quod omnibus ferè notum est; etiam communi vulgo; verum humiditas quam qualitatem calor dummodo conjunctam habuit, insinuando se inter cutis porulos, quos tunc temporis apertos confitemur fuisse, sui ingressu, laxandique potentia, cuius naturæ est, egressum insensibilis perspirationis materiei stipavit. Aér humidus laxat solida, & ad expellenda eorum contenta ineptiora hæc reddit, atque calor disponit ad putredinem: unusquisque novit aërem nubilosum humidum hyemali tempore etiam esse vitandum insensibilem evacuationem inhibentem.

His igitur paucis autumno luculenter
C 2 me

me satis demonstrasse, receptam Aucto-
ris propositionem nil veri aut falsi signi-
ficare sinè propositis ac absolute additis
adjectivis; nisi forsan diceret se hoc mo-
do vel potius ab hac aeris qualitate de-
rivare præteritam hujus morbi Epidemii-
ci constitutionem ab aëre frigido scilicet,
quod nulla indiget refutatione, nec
mentis sum diu his inhærere, verum u-
tilioribus deterere tempus; nam unicui-
que præteritæ hyemis initium in memo-
riam revocanti, ut & à posteriori per-
scrutanti hæc melius patebunt.

XII. Materiam vel potius causam
morbi sui generis fuisse, quam haud fa-
cilé explicari potuisse, juxta Cel. Pro-
fess. nostri sententiam, Expertissimus
Auctor miratur dicens *id commune esse*
omni acri & heterogenio, quod semper sui
generis sit, & hic nil significare. Verum si
Expertissimus noster Auctor ex occulta
aëris qualitate §. x. descripta manifesto-
rem deduxerit causam, ac propé dicat
quid sit id aëris malignum, cuius natu-
ræ, & unde productum (ceteroquin non
est) *esse*

esset manifestum) quod Cel. Profess. p. 15. *Miasmata* appellat, magnus nobis erit apollo. Præterea hujus Cel. Profess. obstupecit, materiam morbi tenuem fuisse, subtilem, ac semi volatilem: verum rectius sibi imaginatur se derivasse morbi causam ab incrassatione humorum (quod quidem non negamus respectu effectus, sed tanquam causam remotam efficientem rejicimus) ut fatetur *quod omnes ferè morbi catarrhales dictitent horum morborum causam plerumque esse lympham, aliosque quosvis humores inspissatos & fere stagnantes.*

Quod indicationi ipsius curativæ etiam quam maximè quadrare mihi visum fuit, nam inspissatos & coagulatos humores, juxta propria ipsius confessio §. ix. & x. Diaphoreticis per minntissima cutis spiracula eliminare conatus fuit. NB *morbi Catarrhales dictitent causam esse lympham, aliosque inspissatos humores.* Primò omnes Auctores per lympham exprimunt humorē tenuem aquosum non concrescibilem; Stochius verò cres-

cibilem: Licet enim Auctorem exper-
tiſſimum quandoque mihi objectum
credam, humores concretos aliquando
& inspissatos defectu motus productos
in quadam animalis parte inveniri, iſ-
tudque concretum vel inspissatum eſſe
lympham; respondeo coalitum iſtud non
concreuisse lymphæ qualitate ejusque na-
turæ verum mediante nostri corporis ge-
latinâ; fateor quidem lympham parti-
culis nutritiis aliquando permisceri,
ſed quandoque etiam non; & etiamsi,
ut cum hilce coaleſcat, interdum con-
tingeret, id non proprié lymphæ, ſed
noſtri corporis gelatinæ adſcribendum
eſt. Aqua enim hac vel potius harum par-
ticularum ſocietate liberata ſemper ſuam
tenuem & lymphidam indolem retinet,
niſi fortiori vi ſuperetur & in glaciem
convertatur. Alterum eſt eruditum Au-
ctorem catarrhos derivare contra com-
munem tam plebeorum quam medicorum
ſententiam ab incravatione humorum:
ſed quo tunc quæſo medio inspissati hi
humores tam celeriter ex una in aliam
partem

suam facerent Metastasius? nonne dolores versatiles vagi &c. per omnes corporis partes vagantes quasi unico ictu has perreptantes ex una in aliam partem volant; hi tamen dolores varias agnoscunt catifas; minimè verò unicam, etiamsi falsam, ut Stochius.

XIII. Quoniam Auctor tam humilis s. XXIII.
& innocens ignorantiam suam aperté
nimis fatetur dicens *quomodo succi asperæ
arteriæ & membranæ pituitariæ hinc per
relicuum corpus dispergantur non video,*
pro viribus id ipsi aliquantulum & quo-
modo demonstrare conabor, quod si
tunc capiat siue non mihi quoque per-
inde erit. Hi humores stagnando lique-
facti, quæ est perpetua ac verissima ob-
servatio viscidi ex minori circulatione
nati, à venarum lymphaticarum osculis
absorbentur, atque ita tandem per to-
tum eorpus disperguntur. Hæc observatio
perpetua falli nescia (si expertissimus Au-
tor RUY SCHIUM, MORGAGNI,
HEISTERUM & similes Auctores Anato-
nicos consuluisse, qui per injectiones cer-
tio-

tiores artis filiolos reddiderunt, venarum oscula in corporis cavis hiantia esse, & ad recipiendos humores, ut vasa lactea & venæ meseraicæ chylum ex intestinis recipiunt, promptissima) dilucidius Auctori patuitset; nec dubito, quin coecissimo huic (*non video*) verbo percisset. Deinceps pergit dicens *illustrans hoc quibusdam similitudinibus non parum claudicantibus.* Etiam si non demonstraverit in quibus claudicent, multa enim talia in re medica inveniuntur, quæ, nisi quibusdam similitudinibus captui ad faciliorem intelligentiam adaptarentur, inperscrutabilia essent; dico tamen mihi etiam licitum videri dicere, si ita claudicarent, sicuti tota hæc Auctoris dissertatio, ipsas fixam debere tenere sedem cum Auctore nostro fortè ex podagrico dolore decumbente.

XIV. *Datur, quod lubentissimè fateor,*
 § xxiv. *eruditum nescire &c.* Quod fatetur, eo insimulat Cl. Profess. *speciale* quid admittentem; si bene fecisset, publice Auctor exposuisse debuisset, quid sit istud

istud singulare, quod variis in constitutionibus Epidemicorum diversos producit morbos, de quo in tota ipsius distractiuncula nulla mentio fit, nullamque reddit rationem. *Unicum tantum appropriatum, despctis omnibus aliis remedii præscribit.* Quid pluribus indigeremus remediis, quum unicum hocce, dum indeferenter morbi causam omnis generis Symptomata producentem expellens sustulit ejus effectus, sufficerit? cum autem descripta Cel. Profess. formula Auctori ex sua sententia non satis valida aut probabilis videretur, ipse meritò probabiliorem aliam bono publico inserviendi cupidus præscripsisset: sed ut §. III. notavi, vel non ausus fuit, vel simplicium copiâ carens non valuit. Et quod Cl. Professor reliqua remedia despexisset, in his Expertiss. Auctorem veritati nimium pepercisse, unusquisque L. A., qui Cel. Profess. descriptionem lustravit, quoniam nullibi in tota descriptione sua ullam, quâ tale quid dijudicari posset, præbuit suspicionem, facile crediderit.

XIV. Sic Cl. Profess. primò intendit materia
s. xxv. ex sua sententia peccantem per insen-
sibilem perspirationem educere, dein visci-
ditates corporis solvere. Eodem nunc ti-
tulo, quo Auctor se justè nobis detraxisse
arbitratus fuit dicens Professori certè è
Cathedra coram suis semi latinis ac idiotis
discipulis, & hoc quidem pluraliter! illo
ipsum afficere tentabo, meliorique ra-
tione demonstratus sum Auctorem se
verum profelsum fuisse idiotam, atque
Profess. nostri Cl. sententiam non intel-
lexisse: ideòque non semi-latinum, ve-
rum semi-doctorem. Neminem sanè
crederem aliquantis per in medicis ver-
satum tam tristem ac deplorabilem sine
luce fovere cœcitatem, quin detegat
Profess. meum Cl. per sequentem hunc
scribendi modum non intelligi voluisse,
se mentis fuisse per appropriatum
tale insensibilem perspirationem adau-
gens medicamentum corporis viscidita-
tes, quæ hujus acris, subtilis, ac se-
mivolatile materiae quandam partem si-
bi intricatam haberent, eliminare è cor-
pore

pore: nam tunc reverà ille ipse Cl. Profess. cum Domino Stochio idiota vide-retur, qui §. ix. & x. visciditates ipsas per Diaphoresin se eliminasse, ut putat, fatetur. Ita enim Cl. Profess. sententia p. 8. sese habet.

Primò, quoniam materia erat tenuis & volatilis omnium optimè per insensibilem perspirationem educi posse, dein, quia intricata hærebat in multa visciditate nostri corporis, eam esse solvendam, ut recepta materia educi posset, hanc mihi formavi indicationem curativam. Inquisivi dein medicamenta, quæ huic indicationi inservire possent, quæ ne mpe largiorem perspirationem faciebant, resolvebant mucilaginem, & tamen non magnum calorem excitabant. Quo nunc quæso pede Profess. possibile foret, prius materiam tenuem educere per generale medicamentum, & dein corporis visciditates resolvere, ut blaterat Auctor? cum omnes hæ indicationes in una concludantur formula vel mixtura, cumque medicamenta cuncta, unumquodque suæ indicationi appropriatum, simili-

estent agentia, simulque in actum ducerentur. Verum enim verò per hoc adverbium *dein* Auctorem judicasse, Professorem unicuique indicationi singulatim specialem præscribere voluisse formulam, vix dubito. Probare nunc igitur restaret expertissimum Auctorem idiotam haberi, nobilique hoc semi-doctoris gaudere vocabulo; sed quoniam, quin unicuique ex supra dictis id nunc manifestissimum sit, non dubitem, hisce, horum, obiter tantummodo tactis, floccifaciam. Nam medici est, ni fallar, non solum ea, quæ nec perpetuâ lege, nec sanâ mente fieri queunt (ut est viscidorum ac inspissatorum humorum per minutissimos pororum canaliculos expulsio inpotens; atque nervorum succi per decissam venam perdit laboris extraxio, quod bimestri tyroni minimè latet) non ignorare, verum etiam multorum medicaminum in unam massam (unumquodque suæ indicationi inserviens medicamentum, non intercallati temporis vice suum obire munus simul sumptam in actum duci apprimitè

mē scire debere. Dum præterea hoc adverbio *dein* quandam harum duarum indicationum fieri voluit distinctionem.

XVI. Præteritis, quibus abundé tamē culinarium, nulliusque universitatis se præsttit Auctor alumnum, acquiscere nolle videtur, ast majorem de ipsis ignorantia capisci ex postulat probationem, dicens *mirabile est auditu, sal fixum seu neutrum, & adhuc sale volatili acer- rimo incitatum, agere sine stimulo, & tussim lenire.* Sic Auctor vel inscius, vel voluntarius, quod per inde est, ipsam per approbatam praxeos experientiam detectam veritatem dogmaticam repellit; quoniam, etiam si hoc medicamentum decuplò tenuius ac subtilius foret, densum id ipsis ingenium perpenetrare nesciat. Quod autem hoc acre, ut ait Auctor, leviverit tussim, probabile est: Quia juxta propria Auctoris effata excitans tussis causa latitabat in succo nervoso, quando inquit §. ix. *Systema nervorum magis quam sanguineum afficitur.* Hinc, quoniam per nullam cognitam, quoad

XXVIII

scio, viam, vel emunctorium naturale
hæc materia convenientius evacuari po-
terat, quam per Diaphoresin, hoc me-
dicamen, hanc adaugens evacuationem,
id ægregié præstabat, depravatus quippé
nervorum succus, vitiatus, & acris fac-
tus irritans sui acrimonia organa respira-
toria; undé illa tussis inevitabilis, cum
educeretur laudabili hac expirazione,
hunc subtilem nervis inimicum tollens,
lenivit hanc tussim. Pergens itaque fu-
riarum cliens penitus infestat, & dicit,
quasi formalī admiratione transfoſſus ad
hæc Professoris, sine ſtimulo calido, *ſti-
mulum eſſe ſtimulum*; Sed cum permifſu
ſterilis ſitu necessariorum doctoris dixe-
rim, medici magni intereffe debere, ſciat
hanc magnæ utilitatis ſtimulorum diffe-
rentiam, inter videlicet magis minuſvē
ſtimulandi, & calefaciendi poten-
tiam.

Si autem juxta Auctoris statuta non exi-
ſtant minus ſtimulantia, quæ tunc exitia-
lis hæc doctorum foret audacia? cum in
omnium ardentium febrium principio
ſæpiſſi

sæpiissimé oblatis curandisque sibi ægris propinent sudorifera, ac insensibilem perspirationem instigantia medicamenta, nisi ad unguem ipsis esset hæc stimulorum distinctio: Quis enim medicorum, etiam ultimus hanc tunc imitaretur medendi methodum? quis instigatum vitalem motum ex vehementi æstu decubantis ulterius per roborantia, calefacentia, stimulantia adeò instigaret, ut in numerabilem morborum expectandus esset timor, qui ut hic annotentur, temporis augustia non permittit, imo ipsa dirissima mors.

XVII. Afferit hic Auctor prænobili curationis suæ methodo gloriari se minimé velle, (*licet verò gloriari nolim me omnes ægros curasse*) quod etiam, quum nil utilis, rari, aut mirabilis contineat, credimus; frustra enim foret hæc inanis gloriæ cupido. Quâ inquam methodo *præclarissimos, ac valde eminentes* otius suæ patriæ praticos curasse, *quosque hoc ritu praxin exercuisse, certissimus est.* Ex proprio hoc Auctoris testimonio ipse magnus,

magnus, ac valde eminentis judicaretur practicus, cum multis præstantissimis aliis medicis correspondentiam habens; quod Auctori credimus. Sed quo pede? eodem, sicuti dicit Professori se fidem habere, quod nempe hi medicinæ doctores, si vitâ fruantur, unâ cum Expertissimo Auctore nostro sub incognita Nullibiensis Accademiæ disciplinâ talia posuere fundamina, qualia jam hisce extruxerint limina. An verò unicus duntaxat, excepto filio suo urbis suæ medico ordinario, Auctori nostro consentiens reperiretur, vehementer dubito.

*XVIII. Quin & simul ac methodum Gor-
terianam animo cogitare decreveram, ex
professo hujus medicaminis in rustica non pro-
cul à nostra urbe periculum feci.*

Sic ergo prudentissimis medicis quemquam periclitari §. XVII. non licitum est, eruditis verò id vel maximè decet, ut auctori cum suis; & quidem certiora ac tutiora cum se possidere, ut putat, confiteatur: his interim concludendum legitimè esset, vel Auctorem dur

dum hæc ipsius propriæ suæ sententiæ opposita, non recordans, quæ §. xvii. dixerit, vel scripserit, delirasle: vel rusticas apud Enchusanos non haberi homines.

XIX. Allatam ipsius præclaram mendī methodum subtilioribus adhuc argumentis affirmare nititur. *Si igitur in-* §xxxii.
quit remedia pectoralia asperæ arteriæ internam membranam nequeant attingere;
ergo nec acida nec acria. Sed acida &
acria ipsam attingunt, ergo quoque pectoralia. ô Jucundum! ac auribus gratissimum argumentum! simile quid non minus forte, quam hoc Auctoris ludibrium, minusque vacillans ad comparationem superioris, nullam animadvertisens inter duorum maximè inter se discrepantium animalium corporum distinctionem, inter ponderosissimi Elephantis & levissimi muris per parentes in quasi introducam risus gratiæ.

Si angustissima muscipula animalium amplissimus Elephas prendi nequeat, ergo nec horum omnium mus minimus: sed

E cunc-

cunctorum horum minimum adimplens
spatiolum mus, proprio dicato car-
cello hoc capisci potest, similiter ergo
maximus horum Elephas. Ad quod an-
tecedens negatur, quia tunc Elephantum
captoribus tam laboriosa non opus foret
capturâ; qui, ut fertur, signatam antea
arborem, cui requiem capturus incumbet
Elephas, transversé semi descendunt, ut ita
à gravissimo hoc incumbentis Elephantis
onere, totus cum arbore in terram pro-
labens minori cum renixu captivis indu-
retur vinculis. Verum si quis picæ adin-
star de ramo in ramum saltaret, nunquid
judicaretur pavidus non audens stare ver-
bis? en præclarum Doctorem nostrum
Stochium, qui cum muscâ in pultem pro-
lapsus tamdiu circumremigat, donec
liquidiores invenerit substantiam, di-
cens, *nonne igitur tepidæ exhalationes pe-
ctoralium possunt intrare ventriculos & vas-
cula?* Sed alia sanè ratio est inter exhal-
ationes quorundam medicamentorum sub-
tilissimas, quæque cum aëre in inspira-
tione ipsam intrant asperam arteriam &
pul-

pulmones, quod unicuique filiorum artis cum eruditō Auctore nostro simul fatendum existimō: quod autem graviora, & majori particularum mole consistentia medicamenta, ut sunt pectoralium aut eclegmatum viscosa & mucilaginosa eorum genera, tenuissimarum exhalationum eisdem fortirentur effectus (quoniam affecta alperæ arteriæ & membranæ pituitariæ loca non attingebant, neque etiam opus, ut tangerent, ut §. x. constitit) neminem tam vulgaris conditionis, aut submissi ordinis, hoc ut in sané credat, adduci posse, statuo. Hæc enim perfecta cum corporis humani humoribus permistione, & singulari, prout sunt, correctione agunt. illa vero obductioni tantummodo inserviunt. Ad ulteriorem hujus affirmationem citat opium, & emeticorum operationem subitaneam: *Quænam inquit alias est ratio tam præcipitis efficaciæ assumpti opii? quæ est causa tam subitaneæ operationis emeticorum?* Sed an particulæ opiatæ, & eclegmatum aut pectoralium eundem agnoscant effectum?

fectum? quænam horum duorum inter se
convenientia? mucilaginosa remedia ob-
volvendo acrum humorum corpuscula
acutissima innocua hæc reddunt: parti-
culæ vero opiatæ solidis nervorum parti-
bus insensibilitatem ac stuporem inducendo
minuunt corporis motum, & sensum &
quasi, si ita loqui liceat, hominem ob-
umbrando in somnum disponunt. Opium
hujus est naturæ, ut, si Auctor hoc alle-
gatum remedium temperandæ ineffrenatæ
ipsius rabiei causâ sibi ipsi opportuno jam
tempore propinaret, nullius periclitati-
onis §. xxx. ubi de rustica, foret timor;
nec dubito, quin futurum eslet majoris
efficaciæ & operationis, quam quidem
eclegmata & pectoralia in hac descripta
constitutione. Nunc de Emeticis. E-
metica, an etiam opus, ut pertractent
affæcta hujus epidemici morbi loca? quod
sané non requirebatur in eorum operatio-
ne; putaveram modo illa tantum præesse
contentorum ventriculi eductioni, nec
ea ulterius venire, simulque cum con-
tentis emitti: quod reconciliando organo
huic

huic vel nauseam quandam huic medicamento singularem, vel quodam stimulo huic insito fit.

Possunt intrare porulos & vascula, per quæ duo hi canales commercium exercent. Miseram ac instabilem anatomiam! quam prædicat Auctor! absorbentia venosa vasa repellit, poros, hoc est parenchyma veterum admittens ab hodiernis anatomorum principibus satis refutatum, & vascula communicantia inter œsophagum & tracheam arteriam: attendant interim L. mei B. ad expertissimi Auctoris nostri propositum; nulla absorbentia vasa admittit, quæ ex œsophago liquorem recipiunt, prædicans communicantia à memine Anatomicorum detecta. Sed si Auctori indulgerem talia fuisse detecta, in ergo hæc arteriæ vel potius venæ essent licendæ? si supponantur arteriæ; hæ per extremitates nullum recipiunt liquorem: in autem venæ; hæ quoque suum liquorem in sibi proximam partem non depo-unt, sed receptam materiem in commu-lem truncum conducunt: quâ itaque

Auctor viâ hunc liquorem duci velit ex œsophago in tracheam arteriam , penitus ignoro. Sed verò his non parum extenuatum videri istud Doctorale decus , cum à semi latino ac idiota multis in locis per solida ferè argumenta refutari & obtundi pati debeat , id eò certius habeo.

s. XXXII XX. *Ventriculus tamen solida ingesta in liquorem, lactea intrare aptum convertere potest.* Hâc nunc splendidà , ac irrevocabili Auctor sententiâ , si ipsius mentem recte capiam ; ineffabilem ipsius methodum , cuius infallibilitate §. xxix. non vult gloriari , strictius affirmare laborat , probatumque velle videtur , ventriculum mucilaginosa & viscosa eo usque attenuare , ut apta sint intrare vasla lactea ; hinc venas cruentas , & per consequens per arteriolas veherentur ad quascunque corporis partes.

Primò totam ingestorum confectionem tantum stomacho , nullam verò tenuium vermiculari intestinorum motui adscribere videtur , quem etiam procul dubio ,

ut

ut reliqua inficias ibit. Sint ut sint, hæc, quasi non spectantia ad rem, præteribo. Sed posito ventriculus glutinosa in liquamen tenuissimum modo convertat, an elegimata requisitam ac priorem tunc consequerentur indicationem? pectoralium erat externas acrimoniae particulas acutissimas suâ glutinositate obvolvere, ne substantiam membranarum mollissimam lacererent: sed ventriculus attenuando hanc ipsis ademit qualitatem; adeò ut, quæ nunc virtute operentur, nesciam, nisi Auctor affirmet, hæc postea, si ad determinatos pervenerint locos, pristinam recuperare naturam; quod, ne credam, duæ me detinent rationes: prima, quod iam eo usque deducta in exilissimis canaliculis varias crearent obstrunctiones: & altera, quoniam vis vitæ huic, ut ingesta ibi semper magis magisque adæquet, delita sit.

XX. Quam insulse ratiocinatur Auctor
in fine, paucis explicaturi sumus. Addu- xxxiv
xit exemplum mucilaginis vesicam, ven-
triculum, aliasque partes naturaliter te-
gentis

gentis, ut probaret mucilaginosa duci posse in asperam arteriam, duplice committens errorem. Primò concedit tertiam Cl. Profess. objectionem, quà demonstratur haud credibile esse, imo impossibile particulas mucilaginosas illibatis viribus per arteriam bronchiale venire in asperam arteriam: si hoc verum sit, aliam non existentem demonstrare debuissest viam, si statutor noster mucilaginosa determinata hæc adtingere loca probatum vellet. Alter error est, quod statuat mucum tegentem vesicam ventriculum &c. generari ex mucagineis assumpptis non cogitans animalia hoc muco æque gaudere, quæ nunquam degustarunt mucilaginosa, quam quæ iis vescuntur, & utuntur. Tam Hospes est in physiologicis, ut nesciat hanc mucilaginem esse horum corporum naturale productum, non verò assumptorum alimentorum progenitum.

§.xxxv

XXI. Hisce Auctor tenuitati vasorum excretiorum insultat argumentis: *vasa verò eorum excretoria sunt tam ampla, ut stylum*

stylum satis magnum admittant. Mirabile dictu! magna quidem est Auctoris ignorantia, major autem ipsius perversitas, cui tam diu, ut certissimarum rerum ordinem destrueret, studuerit; si modo Cl. Prof. de Secretione humorum, quem publici juris fecit, tractatum perscrutatus fuisset, persuasum omnino mihi esset Expertissimum Stochium de amplitudine excretorum non tam insulse ratiocinatum: si itaque filiorum artis quivis Auctoris allata evolvat, putaret sanè extremitates venæ portarum & arteriæ hepaticæ (quibus à nemine Secretionis negotium adscribitur) atque pancreaticæ liquores in ampulum fundere canalem, qui stylum satis magnum admittunt: cum tamen Anatomici demonstrent ceram injectam raro exilitatem excretorum ex arteriis in excretoria transsudare. His igitur, foré ut densam Auctor ipsius agnoscat ignorantiam Anatomicam, spero.

Concludit ex Cl. Profess. dictis *omnia pectoralia, glutinosa, mucilaginosa, cunctaque bechica ex tota medicina, adeoque*

ex Cl. Auctoris, quam edere parat, mat-
riâ medicâ exploranda, & exterminanda,
ac proinde in album inanium, præpostero-
rum rediculorum, ideoque & abrogatorum
digerenda esse. NB. Quia Cel. Profess.
in hac constitutione demonstrat, quod
non erat demonstrandum. Sic emunctæ
naris nasutulus noster in præsentibus ver-
satur non prospiciens futura. §. LI. ubi ab-
sorbentia negat vaſa, ac demonstrare co-
natur, quod, si eo perventum fuerit, pe-
nitius intuebor, venas nil accipere nisi ex
arteriis. Nonne ergo hac conclusione ex-
pungit omnia remedia externé applican-
da? ô damnabilis chyrurgiæ pestis! sed
nunc ad scopum.

Si Cel. Profess. mentis fuisset omnia
hæc medicamenta rejicere, non præscrip-
sisset talia *in hac constitutione*: neque e-
tiam cætera inania sunt, cum vero aliis in
morbis magni usus teneantur, non sequi-
tur quippè unicum remedium unico quo-
que sacrari morbo: imo omnes morbi
pectoris tussim excitantes non semper ea-
dem, varias agnolcentes causas, varia-
que

que exigunt medicamina. Si V. G. quis diceret in hac constitutione mucilaginosa non valuisse, an inde ipsi justè cum Auctore concludendum, hæc inania haberi expungenda, quum aliis sæpe morbis magni usus & effectus habenda?

XXII. *An membranæ nervos investientes arteriis scateant, an verò modo gaudeant* ^{xxxvii} *bis, ambigo.* Auctoris ambiguatatem hic non demiramus, nam iis minimè necessariis, luceque meridianà clarioribus rebus §. xii. ambiguus hæret. Quænam differentia apud Enchusanos ipso eorum Medico ordinario judice inter scatere & gaudere re aliquà? nisi scatere majorem solummodo rei cuiusvis indigitet numerum; verum Auctor, quum hæc renuat, certam prius excogitasset innumerabilem harum arteriolarum, quibus hæ membranulæ scatent, copiam, qua calvam rei ignotis ipsius fabulam stabilivisset; tam enim eruditos de Physiologicis prompsit sermones, quasi primis nequidem hæc degustasset labiis: ego quippe dubitare tam audacter ausus sum, ut dicam tantum abesse, ut Au-

Auctor RUY SCHIUM & LANCISIUM in MORGAGNI Anatomicorum tum temporis primarios non legerit ac evolverit, ut etiam hos in Anatome versatissimos, omni-que laude dignissimos autores pronuncu- pari ipsi nunquam licuit audire, qui asseve- rant duram matrem arteriis scatere, cu- jus producta sunt involucra nervorum, atque ipsa involucra nervi. De his ita- que vehementer dubitat, curationi, si ita loqui fas sit, in utilibus fere; sed res du- biosissimas, opacas, & quam maxime necessarias §. viii ubi de investigatione morbi hujus epidemii causæ ad unguem calle.

Liquorem extravasatum functum muneri- bus per socias venas absorberi, Cl. Profess. forte exemplo caret. Qualis Auctor Ana- tomicus, imo & talis videtur practicus, nec multum differre ab erudito hoc quon- dam ad ægrum accersiti doctoris ratioci- nio, qui nesciens morbum, quinimo hanc eandemque fortassis Epidemiam, hoc itaque suum decumbenti præscrip- fit.

* Si

*. Si vis sanari , de morbo nescio quali,
accipias herbam , qualem , sed nescio
vel quam.

Ponas nescio quo , sanabere nescio
quando.

Quamnam de tali medico L. B. feretis
fententiam ? nonne dignaremini hunc
verum medicum ? en Eruditum Aucto-
rem nostrum Stochium , quem fugiunt
NUCKII experimenta , & empyemati-
corum pus per urinam redi , humorem
oculorum aquosum absorberi , rorem in
ventriculis cerebri , ventris cavo ac pe-
ctoris abliguriri .

XXIII. *Hic enim humor in tam parva
quantitate in ipsis capsulis secernitur , ut vel
per spicacissimo Anatomico ne tres quidem gut-
tulas ex grandiori recens mortui cadaveris
nervo elicere liceat.* Vellem nunc quidem XXXVII
ut , quo Auctor hisce , quæ si vera
credam , ut verissima sunt , tendat , non
ignorarem : An forsan perpetuam absorp-
tionis legem destruere niteretur ? si sin-
gulis horis modo unica , aut singulis die-
bus , imo unaquaque septimana unica

duntaxat secerneretur guttula , quanta
quæso totius vitæ curriculo hujus foret
accumulatio ? quantumque , si denuo
non absorberetur , incrementum capes-
ceret copia ? *ex recens mortui cadaveris*
nervo tres ne quidem guttulas ; quid hoc ?
exilissima abscissa valcula fibras suas lon-
gitudinales contrahunt ac retrahunt ver-
sus utrumque punctum fixum ; adeò ut
adaugeatur solida horum lateralis moles ,
manente eadem substantia , apertura mi-
nuitur unaque tandem integrè clauditur ,
quod simile fere in abicisso vitis ramulo .
Addit præterea in *controversia manere , an*
iste humor coarceatur in interstitiis fibrilla-
rum , an verò verus sit succus filamentorum
nervosorum , vehiculum spirituum anima-
lium , ô miram ac rem inauditam ! pude-
ret meritò Eruditum dicere ambigo , quod
idem est , ac si diceret nescio ; quid e-
nim dilucidat , quid prodest , quidque
*probat , res in *controversia manet ?* sed ve-*
ro ille succus nervosus , quo etiam no-
mine ab Auctore repetitur , si non in suis
distinctis involucris aut potius in intersti-
tiis

tiis fibrillarum latitaret, quæ tunc distin-
ctio inter hunc succum & spiritus, tam
animales quam vitales? quis mortalium
ab orbe condito in hanc usque diem tam
insulfum ac profanum quid unquam som-
niavit, quod duo distincti liquores com-
muni involucro includerentur? o scelus!
o nefas!

XXIV. Ecce quærit *quid obstat, quin
statuat totum hunc succum inserviendo nutri-
tioni, lubricationi &c, consumi.* Quid
quæso obstat, quin Auctorem ignarum,
amentem, ac stolidum hædum statuamus?
quid hoc dictum est, hic humor inservit
distinctis suis functionibus, ergo consumi-
tur: Nisi perire virtutes, & consumi,
Auctori unum sit. Sed cum pace exper-
tissimi Doctoris distinguimus hæc duo;
nam consumere, nobis significat aliquam
rem in nihilum redigere quod fieri ne-
quit, V. G. lignum & cespites combu-
rantur, an indè in nihilum redigantur?
undè ergo cineres? annon aqua anteà
præsens vi ignis attollitur, & in aërem
dispergitur? sed detrimentum virtutis,
quod

quod dicitur de humoribus, non minuit quantitatem, sed functis muneribus necessario inutiles facti pelluntur è corpore.

s. XL. XXV. *Subtilitates enim Cl. Profess. concupiscit.* Quod unusquisque animo maturus Cel. Clariss. ac Præstant. huic viro honori ducet: Auctori autem Stochio bonarum rerum inversionis exardescenti amore dedecori fiet. *Illa filamenta innumeris transversis fibris, sibi mutuo tam fortiter sunt agglutinata &c.* Ex intimo itaque cordis desiderio veilem, ut Auctores tales talia docentes Auctores Anatomicos appellaret, mihi autem, etiamsi adhuc medicinæ tyro falli possim, nullus eorum superstes videtur.

§. XLI. XXVI. *Probare ergo restat, hunc humorem exhalare sub forma insensibilis perspirationis.* Ad quod dico materiem hancce nimis subtilem esse, ideoque per consequens quæstio etiam nimis tenuis foret, quam ut eam tam habeti homini demonstremus: quibus ergo ne oleum & operam pardam, hisce intactis præteribo. *Cui-*
vis

vis enim, quam hæc sint absurdæ & contraria,
facile per se innotescit. An absurdum &
contradictorium, quod quædam pars ex-
halet, alteraque redeat? id omnibus
commune sentio: Verum Stochius carp-
tor strenuissimus sensus Profess. ni, invi-
diâ ductus, quasi idem liquor exhalaret,
iterumque rediret, hunc ita explicet,
magnæ densæque ipsius stoliditatis mife-
reor. - Utrumque fieri non dubito, &
quod pro parte permisceatur lymphæ, ut
& ita pulmonis actione iterum adaptare-
tur circulantibus, quodque etiam eva-
cuetur per insensibilem perspirationem:
Sed quid hoc refutat, ac quid probat?
an propterea, quod permisceatur lym-
phæ, Auctor exhalationem hujus per cu-
tim negat? lympha ipsa etiam ex arteriis
lymphaticis functo munere evacuatur in
sibi socias venas lymphaticas; an inde nil
hujus expellitur per cutis poros? unde
ergo tam copiosi sudores? præterea se-
cundum istud Profess. quod non erat cir-
culantibus permiscendum, hic enim suc-
cus aëris malignitate coinquinatus, ne

passus pulmonis actionem, reliquæ totius circulantium massæ permisceretur, ac reliquum corpus suæ malignitatis contagio afficeret, Cl. Profess. diaphoretica ex tenuibus & volatilibus, ut decebat, exhibuit successu optimo minimè carentia.

s. XLII. XXVI. Miror propriam Auctoris ignorantiæ confessionem. *Quid verò analogia sensibilium hic sibi velit, non possum concipere.* Ut igitur idiotam idiota Doctorem, det veniam verbis, quid analogia sensibilium sibi velit, doceam; dico, si versemur in rebus invisibilibus, consuli debere visibilium leges, eæque invisibilibus applicandæ; id est per analogiam ratiociniari. Hæc enim Auctori captu impossibilia, quam primum ac quis tyro juvenis primordia medicinæ ponit, tanquam prima fundamina ei exponuntur, ideoque & idiotis & semi-latinis satis nota; sed Expertissimos, sic dictos eruditos, ac nomine doctos principia theoretica floxi facientes doctores latent. Ah daret quietem nugis! at pergit tantam liquidicopiam potius ex vasis lymphaticis, vel lym-

lymphatico-nerveis profluere vero simile videtur. Si reconsidereret Auctor lympham ex lymphaticis fluentem (suppono enim Expertissimum Doctorem per hoc intelligi voluisse lymphatica venosa) an hæc ergo crassa est & mucilaginosa? sin autem ex lymphatico - nerveis (per hæc fortasse lymphatica arteriosa explicari cupit) hæc duntaxat ex arteriis oriuntur, & cum anteà inficias iverit arterias in capsulis nervorum, hæc in primis similiter Auctori neganda sunt.

XXVII. *Alias potius fibrillis dixerim.* s. XLIV.
Tam rudis in Anatomicis est, ut nesciat fibras nervosas, intus cavas, rectius appellari tubulos, quam si his cavitatem inficietur, restabit ei spirituum fluxum per eas similiter negare, quos spiritus passim cum hoc succo nervoso confundit.

Quod propter porositatem ac omnium partium perspirabilitatem aliter fieri nequit. Quid porositas auctori significet me latet, nisi quædam foraminula minutissima ac pervia, ut E. G. in spongia, quod ab-

nuo , quia si transludandi potentia in animali eslet , tunc necessariò existere deberet humor extravasatus , alias neutiquam hæc vigeret potestas : neque partes internæ madefiunt ab exteriori transsudatione , verum madefactio illa ipsis offeratur per distincta vascula madefactioni singularium partium dedita : si igitur hæc Auctor mihi concedat , quo tunc ulterius hic liquor tendit , si dein non absorbetur ? fin autem absorptionem annuat , concedit , quod anteà §. xxxvii. negavit . Si autem insisteret hypotesi suæ , concedendum ipsi hominem nequidem decem annorum generali hydrope apoplecticum absoluté debere extingui , autumo .

XXVIII. *Non verò more aliorum humorum posse stagnare paradoxum videtur , & non intelligo.* Imo verò stagnare nequit , ni subito subsequatur partis istius paralysis . Nunquam enim stagnatio cujusvis liquoris mens conscientia observavit , nisi propriâ istius incrassatione canalem obstruente , vel ut frequentius , à compressione superius aut inferius ratione

va-

vasorum originis, concreti sanguinis, viscidi, contusionis, combustionis &c. quorum viscidum ponamus hujus nervosu*m* succi indolem deformasse, vel potius ipsum succum in viscidum degenerasse, quæ tunc igitur oborirentur phænomena? nunquid hoc ferē solidum corpus commune fibrillarum involucrum more aliarum partium œdematis extendere conaretur? & secundo ipsæ spirituum fibrillæ ob substantiæ vasculorum mollitiem citius præ involucro comprimerentur? ideoque respectu occupatæ partis, in effabiliæ in conspectum prodirent dissolutionis phænomena. Hæc solus Auctor cum plurimis suis eruditis non intelligit stagnantem cujuscunque ordinis liquorem debere corrupti, ac sua indole privari: hæc inquam sunt, quæ Eruditam ipsius intellectus aciem penetrare nesciunt, quæ plurimi nobiscum, omnes ne dicam, percipere minimè recusant. Hi tamen multò adhuc minus, quam quidem doctor nervorum succi naturam, concedunt se intelligere non posse, qui aliquis intra

viginti integros dies totius medicinæ cursum frequentando Accademicas lexiones absolvere valuerit: ô Doctorale insigne decus! erat ne ille vir tam præclarus, de quo in præfatione *indies cum filio meo nostræ urbis medico ordinario &c*, quasi multum esset; §. xiv. *dixerim me cum plurimis eruditis distinguere &c.* Quinam sunt hi Eruditi? nisi urbis vestræ medicus, qui, cum vix initium posuisset studiis, iisque viginti dierum tam brevi tempore Eruditionis suæ, poposcit Bullam; hunc doce quidcunque volueris, nil ad nos, hunc inquam, illæso nostrum honore appella meliori jure idiotam, ac semi-latinum, qui altilium ad instar vix pedem extra haram locavit.

S.XLVI

XXIX. *Mera contradic̄tio! nisi omnia me fallant.* Sic videntur omnia auctorem fallere, quod quidem sine ipsius tam firma astipulatione credidisse, quod alacritotius ipsius in una simul sumptæ discertationis ratiocinio individuum habetur; non erat quippe opus magnalia Dei in hac descriptione tam mirabiliter dignoscere,

ac

ac magnificè extollere; verum laudentur extollantur, majorique dignitate, ut & admiratione exclamentur coram populo in anatomica cunctarum partium omnis generis dissectione, quâ mirus omnino ac stupendus à supremo Artifice partium fabrefactarum apparet ordo, ut V. G. de innumerabili tenuissimæ nervorum involucri membranæ arteriolarum copiâ, de incredibili cerebri ac cerebelli substantia mollissima pultis adinstar, quæque tamen tota nil aliud est, quam minutissimorum canaliculorum aggregatio, spirituum tam animalium quam vitalium scaturigo, quorum absentiâ nullus motus viscerum totiusque corporis functio superstes: neque absurdum est unam exhalare partem, alteram iterumque elaborari.

XXX. Adeoque haud extravasati gaudent motu progressivo, nunquam verò, in ^{XLVII} statu naturali, retrogrado; exceptis forsitan spiritibus animalibus. Experimentorum lefectu, carens forté microscopiis, perfecta fronte humorum motum retrogradum negat & pernegat. Si enim ope horum

rum in plexibus arteriarum sanguinis itum ad redditum vidisset, ut etiam in aperta carotidum arteria crux motu retrogrado defluere è capite, non dubito, quin expertissimus Auctor candidam hanc indulgeret veritatem; sin autem necdum huic adhiberet fidem, melius tunc foret, ut insanam hanc incredulitatem sibi custodiret, quam publici juris faciendo ab unoquoque sapientium medicorum ludibrio haberi. An intestinorum contenta sine itu & redditu à ventriculo dimissa viâ recta ad intestinum rectum tendant? *eodem modo, ac arteriæ destitutæ sunt valvulis, tamen sanguis minime regurgitat, accedit præterea, quod hic humor sit extravasatus.* Prohdirum symbolum! etiamsi arteriæ valvulis destitutæ sint, quid hoc? quæ horum duorum convenientia, inter motum arteriarum sanguinis, & hujus nervorum succi? sanguis agnoscit generalem sui motorem satis vehementem, quo tempore diastolis cordis, ni aorta in suo orificio propé cor valvulis gauderet tribus semi-lunaribus dictis, utique regurgitaret, & in media

ar-

arteriarum via à constrictione fibrarum circularium in tunicis arteriarum, ut & à tergo superveniente sanguine sufficienter propellitur; cuius operationis nequidem vestigium apparet in hujus succi motu. Præterea quo jure magis spiritibus animalibus, quam quidem vitalibus, ac huic succo hunc retrogradum adscribit motum, nisi dicat hos mentis imperio ad quascunque corporis partes derivari; sed tunc dico, id quoque evidenteribus rationibus debere probari, nam hoc rationarium tantummodo aut conjectura rectius esset dicenda, quis enim hoc Dei arcanum oculis penitus investigavit? & quod sit humor extravasatus, ut loquitur Auctor; nil sanè absurdius B. L. unà mecum credant; extravasatus quippe liquor nullo gaudet motu naturali, nec retrogrado, nec progressivo, cui tamen horum unus adscribi expostulat: dein etiam humor extravasatus quam ut depravetur blandâ suâ indole, ac corrumpatur, nil verius; omnes etenim liquores naturali suâ agitatione orbati, tepidique

caloris loco reservati in spontaneam corruptelam vergunt, ut saepius dixi.

XXXI. *An verò argumentum hoc ex generali humorum cognitione desumptum huic speciali applicari possit, vehementer dubito.* Etiam si nullam exceptionis suæ reddat rationem, pergit interim: *non enim est humor circulans, sed extravasatus, ac in tam parva quantitate reperitur, ut si cutis poros attingere posset, ex prohibita ejus transpiratione corpori non multum detrimeni eveniret.* Primò humores extravasati, quoniam nullo naturali motu prædicti sint, quod etiam luculenter me satis §. præcedenti demonstrasse autumo, in corruptionem disponuntur, nec patet lex illa generalis, qua magis hic succus, quam reliqui animalium liquores, exciperetur. Quod hic enim succus, si extravasatus esset, citius nervorum fibrillas corroderet, quam quis judicaret; ac quid emolumenti aut detrimenti corpori exinde eveniret, prætereo, velocique id Auctoris ratiocinio explorandum dabo. Interea non cessabo breviter examinare, quid emolumenti,

menti, aut detrimenti ex parva hujus succi quantitate, quæ si modo prohiberetur (etiamsi in majori copia reperire est, quam ipse Auctor, sit venia verbo, putaret) corpori eveniret. Supponamus itaque hunc succum in tam parva quantitate detegi, ut impossibile sit, tangat corporis peripheriam. Quid tunc? hic succus in tam parva quantitate concipiatur, quam ipsi Auctori placuerit: si igitur functo munere inutilis factus aut corruptus cæteris admiscetur liquidis, nonne simul cum istis ad nervos ductus hos arriperet, ad majorem motum hisce stimulo esset, ac ita copiosiori spirituum influxu reliquum corpus in motum inordinatum concitaret? adeoque brevi homo versaretur in summo mortis discrimine: aut saltem ubique in deplorabili, miserrimo, statuque violentissimo vitam degeret: ast non diu.

X X X II. Materiam coinquinantem, seu causam morbi remotissimam. *Ver-*^{s. L.} *fari præter scopum, & extra subjectum.* Hæc est illa tam evidens Auctoris nostri

sententia: & præterea quasi per conseq-
quens quocunque in subiectum agente ca-
raret Dominio. Credo enim verò Aucto-
rem quoque Stochium in Hierosolymis
adeo hospitem non esse, quin non ignoret,
omnes nos, ut vitale lumen teneamus,
haurire aërem, bibentes etenim tam ac-
cidentalem, quam quidem essentialem in-
spiramus: sic ergo aër communi suo in-
troitu ducitur per asperam arteriam ad
duas pulmonalia loborum cavitates, u-
triusque internam membranam, bronchia
& vesiculas tangens. Si igitur hæc
malignitatis miasmata aëri mista ad
internam asperæ arteriæ & pulmonum la-
mellam deducta sint, quinimo lubricitati
utriusque membranæ inhærentia per ab-
sorbentium vasorum oscula absorberen-
tur, ac ita ad internam eorum medullam
vehementur; quæ vasa, cum ad omnes
divaricentur corporis partes, sic quoque
hæc materia in singulis suam virulentiam
exercere valet. Ni scirem, persuasumque
haberem eruditum auctorem absorbentium
vasorum existentiam fateri (similibus se-
quen-

quentis §. LI. obtestans verbis: *dari quippe
vasa absorbentia; quæ absorptos liquores in
venas transfundunt, nequaquam inficior.*
Quum § xxxvii. contrarium, nullum in-
stantis contrapositi timorem ferens, dixe-
rit: *liquorem extravasatum fundum mune-
ribus per socias venas absorberi, Cl. Prof. for-
tè exemplo caret*) non tentasse sanè horum
munus & effectus, si Heterogenii quid
imbibant, Auctori objicere.

XXXIII. *Quidquid venæ per oscula re-
cipiunt, id omne recipiunt ab arteriis.* Sic
per omne, quidquid in corporibus est,
& in venas transfunditur, id ipsæ reci-
piunt ab arteriis absque ulla exceptione:
sed vellem igitur, ut lactearum venarum
mesenterii chylum recipientium arterias,
quas, secundum istud, *quidquid venæ re-
cipiunt, id omne &c.* tam admirabiliter ac
noviter invenerit, nobis ac universæ eru-
ditorum medicorum cohorti, quæque
tamdiu Anatomicæ dislectioni, ejusque
partium investigationi celatæ jacuerunt,
ad majorem hujus propagationem, com-
municaret: ut vigilissimo itaque A-

natomes propagatori promeritas ac debitas referamus gratias; ut inquam de his omnino novis, visui humana hucunque occultis dictarum partium detectori gratulemur. Omnes quippe Auctores Anatomici, quos novi, nullam aliam norunt aut demonstrant materiei primò subactæ viam, quam ex intestinis tenuibus per venas lacteas in cystem, hinc per ductum thoracicum, in venam subclaviam sinistram; cui si Auctor contrariam detexerit probaveritque viam, quoniam nec intestina è quibus vasa lactea recipiunt suum chylum, nec cistema, neque ductus thoracicus, ex quibus vena subclavia sinistra, sunt arteriæ, tunc inauditam hanc ipsius sententiam amplectemur; si vero non, ergo dantur venæ sibi sociis arteriis carentes.

Sed fortassis objiceret Auctor hæc vasa chylum vehentia non vocari venas, sed vasa lactea; verum adducam ipsas venas cruentas mesentericas ex intestinis venientes: in has enim injecit RUY SCHIUS suam materiam ceraeum,

ceam, quod defectu valvularum coronavit suum opificem tentamen, quo singularis ingenii dote praeditus Anatomes explorator RUY SCHIUS edidicit, nosque ipsius posteros docuit, ex orificiis harum venarum transfluare ceram in intestinorum cava integris manentibus venis. Unde ergo sole lucidius patet, non omnes venas sua contenta recipere ex arteriis; cum experimentis constitit, chylum ab his venis absorberi, & in venam portarum duci, veluti ex lacteis in venam subclaviam. Unicum adhuc pro meo libitu in medium referam experimentum, reliqua, quia non opus habeo plura adducere, mihi idiotæ ac semi latinis meis collegis servabo.

Ligetur arteria mesenterica in bené pasto animali, ut nil sanguinis ex hac in venam mesentericam venire possit, dulci apparatu reperire erit, venam mesentericam materiâ chylosâ ex intestinis impleri: quo ergo probatur, dari venas non solum ex arteriis, sed & ex aliis corporis partibus liquorem haurientes.

Aliorum

Aliorum præter hæc oscularum fateor me
haud concium esse &c. Quibus insensibili-
lem exhalationem repugnat, quasi omnes
arteriæ & venæ per inosculationes sibi
neferentur, ac nullibi essent apertæ,
quod manifestius adhuc ex propriis his
Auctoriseffatis liquebit, dicentis *ad eoque*
inquinantem materiam ex aëre haustam, ac
in venis receptam, ex arteriis in has transfu-
sam esse, nihilque ex venis ad corporis peri-
pheriam vehi. Antequam tamen aggredi-
diar veritatem hujus penitus explorare,
salubre videtur præfari, quid sint arteriæ,
quidque venæ, quia, ut in multis, sic
quoque in harum definitione discrepare
possemus. Nobis enim vasa cordi adfe-
rentia venæ, deferentia verò arteriæ di-
cuntur; quæ definitio an apud Enchusa-
nos, uti apud nos, aliarumque urbium
medicos, valeat, nescio. Interim nunc
rem ipsam intuebor.

Primo vascula minutissima in cutim
desinentia arteriosa lymphatica in fine esse
aperta, liquebit, quod hæc sua conten-
ta superflua, & inutilia ibidem deponant,

&

& secundò si illorum motus instigetur per assumpta sudorifera, teste defluente sudore ipso. Quod autem ex venis nil feratur ad corporis peripheriam, maximam Auctori fidem habeo, quia secundum nostram definitionem, venæ sunt vasa cordi adferentia: si hæc humores pelle-rent ad corporis peripheriam, apposito sanè munere operarentur. sed absorptio-ni ac inbibitioni deditæ sunt, quas in cute incipientes ibi apertas inveniri, ipsa hæc earum operatio comprobat, quia diure-tica, purgantia, venena, multaque alia corpori externè applicata internè ope-rantur. Undenam alias hoc continget? undenam hæc medicamenta cuti applica-ta internè suos ita sortirentur effectus, nisi per minutissima vasa lymphatica venosa absorberentur? quænam alias est ratio tam promptæ exsiccationis humoris applicati ad partem inflamatam, nisi ve-narum absorptio? nonne virus variola-rum, omniumque contagiosorum mor-borum suo attacitu afficit adstan-tes?

XXXIV. Hoc nunc Author laudabili processu Epidemici hujus affectus indagationem Cel. Profess. supra descriptis argumentis, ac tanti Doctoris gloria dignissimis ratiociniis, non tamen minores ab hac, quam quidem Cel. Profess. ab altera parte, varias passis litigationes, ut ut in proposito est, negavit. Hac ergo indagatione dimissa, animoque morem ne cum satis gessisse visus, omni conamine curativam ejus indicationem, spirituum penuriâ laboranti haud dissimilis aggrediendo, divellendoque istius medicamentorum virtutes pergit. *Sal ammoniacum esse sal commune acerrimum, ut pote ex urina, fuligine, & sale communi compositum,* Quasi hic sal ingredientium respectu redderetur acerbior: pro eo, quantum conficitur ex urina, tantum augeri ejus acrimoniam non video, prout hæc constat ex mera aqua, & ratione victus, ex sale marino, ut itaque evaporatione requisita solus in fundo relinquatur sal maris.

Quænam specialis huic sali fit acrimonia,

nia, ut hoc quotidie vescimur, cuique notum est; neque me latet, ex hujus admistione ammoniacum sal tam acre non redi, quam ab Auctore depingitur quasi causticâ indueretur natura. Nunc ad fuliginem quod attinet, nonne unum corpus ab admistione alterius pristina sæpè exutâ suâ virtute ac indole, & ratione adjectæ materiæ, aut acrius aut mitius evadit? imo materia acria acri mixta aliquando fit mitior. Sal nitrum cum carbone & sulphure combustum facit sal alkali fixum, febribus ardentibus usitatisimum salem polychrestum: idem vero sal nitrum, si destilletur cum arena per retortam, reddet sp. nitri, seu aquam fortem, menstruum istud fortissimum durissima metalla solvens. Adeoque hæc Auctoris consequentia neutiquam ammoniaci salis accredinem probat, quantum hæc ejus compositione respectu ingredientium miscelæ defumpta sit: quia ex admistione superioris sulphuris nimirum cum nitro istud mitius omnino redditur. Quod enim sulphur materia sit

arenâ acrior, confirmat ejus productum, accensum quippé sulphur exhibit cognominatum hujus spiritum sulphuris per campanam, cunctorum acidorum acidissimum. Quid autem arena? Hisce itaque præmissis extraxit suam conclusionem & ait, quo pacto jam hoc tenue & acre remedium acre & tenue malum corriget? addens §. LXIII in omnibus contrarietas remedio est, in hoc verò morbo similia similibus corrigitur & tenuia, acria & volatilia, tenuibus, acribus & volatilibus emendantur & evacuantur. §. LXII. adeò ut ne ovum ovo similius sit, quam hic loci materia morbi medicamento. Sed unde quælo illustrissimus ille chymista Stochius hanc sic dictam generalem regulam tam auguste deprompsit, acria acribus, tenuia tenuibus, volatilia volatilibus omni dote, natura, operatione & qualitate esse similia? an noverit illum corpus oleo vitrioli acrius, ac qualitate tenuius, durissimorum metallorum poros perpenetranti, similiter virtutes liquoris tartari seorsim examinatae ac simul sumptæ, æque tam vehementis, omni dote,

dote, quò ad requisitas qualitates sibi similes, nisi quod unum alkali, alterum verò sit acidum. Hæc itaque duo guttātim sibi committantur; tunc juxta auctoris sententiam deberet hæc miscela acrior fieri, quam separatim unumquodque antea. Sed vid. quid dicit Cel. Profess. BOERHAVE in sua Chymia Tom. secund. pag. 416. editio Anni 1721. in contrarium tendunt, contrarium quoque operantur, hæc enim duo corpora antea acerrima, tactuque horribilia, nunc præcipitatione hanc virulentiam commutarunt in salem, tartarum vitriolatum dictum, minime nocivum.

Similiter spiritu salis ammoniaci si addatur sp. acid. acerrimus, extinguetur tota istius volatilis vis, & transferetur in salēm neutrum fixum.

Ad istud ergo quo pacto hoc tenuē remedium, tenuē malum corriget? dico, sicuti acre acidi extinguit acre alkali, & acre alkali acre acidi, sic quoque virtutes salis ammoniaci additione salis alicujus alkali infligatæ, agiliores & volatiliores

non quidem acre morbosum omnino extingueret, verum aliquantulum corrigere, ac sua volatilitate istud arripiendo proprioque stimuli motu ducendo ad corporis peripheriam ibidem eliminare. Præter hæc Auctori demonstrandum ac probandum foret, materiam morbi & medicamen sibi esse æqualia, *ut ne ovum ovo inquit similius*. Sed unde hoc habet, an occulta aëris miasmata §. meo x. descripta, ac invisibilia tam accuratè perspexit? ulterius *in omnibus contrarietas remedio est.* Quis hoc unquam generaliter in omnibus ajebat? quo ad multos morbos id fieri concedo, in omnibus autem nego. An membrum inflammatum frigori exponeret? nonne hoemoptœ per institutam venæ sectionem compescitur? Diarrhoea tollitur purgantibus? an partem nimio frigore congelatam prudens medicus igne resolveret? & sic vicissim.

XXXV. Quo nunc Auctor sequentibus chymicarum operationum processibus tam densa rerum caligine obfuscatus, carioso nimis tot tantisque chymicorum pro-

productis onustam vertens revertensque gubernaculo navim, potitus sit portu, evincet temporis mora. *Sic oleum vitrioli nitro affusum præcipitat, vel secedere facit spiritum nitri.* Præter quod dicam me sane ratiocinando id nusquam concepisse, quomodo ol. vitr. præcipitaret nitrum: primò, antequam nitrum ol. vitrioli posset præcipitare, hoc prius solvi debuisse, dein prolabi. Quem autem anili huic figmento crediturum æstimavit? unus idemque liquor unum corpus prius solidis suis vinculis liberaret, idemque secedere saceret: mirabile visu! altero *vel secedere facit spiritus*, per consequens vel Auctori sp. nitr.: & nitrum unum est; vel horum confusione nascetur spiritus nitri, miram præcipitationem! institui hunc eundemque Auctoris processum, sed minime ut per hunc tanquam majus scientiæ meæ caperem incremendum, etiamsi hanc vix vulgarem dijudicem, quoniam, ut ex supradictis constitit, hæc perpetuâ lege naturalium rerum naturæ adversaria fieri non posse credide-

dideram; verum ut & ratione, & experientis unicuique hujus rei falsitas innotesceret. Jussi itaque Pharmacopolæ ʒs. ol. vitr. addi ʒs. nitr. pulv. quo facto duo hæc medicamina sibi per integrum noctem commisi: proximo mane rediens ne quidem ullam solutionis, multo minus præcipitationis vestigium attestans ipse Apothecarius animadvertisimus. Huic tamen fateor, Auctori licitum videri dicere, nos experimenta hæcce haud bene manu cepisse; sed cur istis majus eslet arcanum, quam huic Cl. Cel. Domini BOERHAVII Chymicæ tom. secund. p. 530. No 4 mercurium spirit. nitr. solutum sp. salis præcipitare, quod de industria tentavimus candidam cernentes veritatem, soluto quippè mercurio quam primo ac addebatur spiritus sal. præcipitabat.

Cætera Auctoris chymicalia, quibus ostio pulsat emptorem quærens, ad alienas hinc hæc modo alias revehat oras, neminem enim, prout hæc melius, ac tutius absque defectu manu prima accipi possunt, allicent:

allicent: Vid. Chymiam Cl. BOERHA-
VII tom. secund. pag. 530; qua docemur
argentum sp. nitr. solutum appositione
cupri præcipitare, & ultimum solvi: ad-
moto chalybe iterum præcipitari cuprum
& chalybs solvitur, cui si admiscetur ol.
vitr. præcipitabit chalybem, & renascitur
verum nitrum Hæc sunt verissima Cl.
BOERHA VII decreta; quæ expertissimo
Chymistæ Stochio non satis videbantur,
sed addit chalybi solutæ lapidem calami-
narem, qui præcipitaret chalybem: soluto
dapi di calam: jungit sal tartari, quo rursus
hic lap. præcipitaretur: si huic massæ, dicit,
addatur ol. vitr. solvitur sp. nitr. si iterum
huic adjiciatur aq. reg. ol. vitr. manu mit-
teretur.

Quo nunc satis justo harum chymica-
rum operationum institutis promerito
Auctorem nomine afficiam, ambigo: si
eum mellifluo hoc Med. Doctoris voca-
bulo coronavero, ne ipsi cogitanti, me cog-
nominibus ludere, bilem moveam, timeo:
medici quippè veri de rebus scitu necessa-
riis haud tam insulsé ratiocinantur. Chy-
K mistam

mistam si dixero, ipse ab Auctore forte fortuna dicerer mendax. Quid ergo? haud aptius Auctori vocabulum inveni quam hoc (cum dicat Cl. Profess. remedium nimis Empiricum esse, hoc est tale medicamentum, quod solâ experientiâ comprobatur) Agyrtæ; omnia enim Auctoris experimenta mera empirica sunt: atque circumforanei pro more semper unum alterum vè empiricum theatro exhibent, ut itaque plebeum vulgus allicerent.

S. LVIII.

XXXVI. Cœco hic Auctor impetu, ut in paludem vitulus, ruit in Epidemici Morbi peccantis materiei respectu assumentorum medicamentorum effectus, dicens *hic jam materia peccans fixior videtur facta quam anteâ.* Supponens ergo aliam morbi materiam, seu causam, aliasque fuisse horum medicamentorum virtutes, ut alkali acido, ac acidum alkali, sibi oppositas, ut ita unum extinguendo alterum, utraque virium suarum paterentur detrimentum: Sed videte quid dicet §. LXIII in *omnibus contrarietas remedio est.* In morbis

morbis inflammatoriis alkali prædominat, curantur acidis, alkali extinguitur acido, ergo morbi causa fit fixior. Vicissim morbi ex acido tolluntur alkali, acidum extinguitur alkali, ergo morbi materies fit fixior. Conferatur huic contradictorius ille Auctoris §. LXII. ubi *ne ovum ovo inquit similius, quam hic loci materia morbi medicamento.* Si materia peccans & medicamentum sibi sint æqualia, quo ergo extingueretur ac fixa fieret morbi causa? vel vera hæc conclusio est, vel tota medicina tanquam conjectura firmorum principiorum defectu vacillans hallucinatur.

XXXVII. Hæc itaque sunt L. A. quæ, tum suppressi nostrum honoris, tumque Cel. Cl. ac Dilectissimi Profess. nostri innumera ab Auctore expertissimo Stochio scommata passi, insanis stolidisque ipsius contra Epidemici morbi curationem illusoriacioniis, refocillandi ulciscendi que ratione dicenda habui. Fateor quidem plura non incongrue ex sequentibus æque ac ex præcedentibus auctoris §§. expiscari:

me potuisse, verum, quum nil novi, aut
quod ab anterioribus non constitit, aut
quod nulla refutatione se ipsa damnans
tia indigeant; silentio igitur cum auctor
§. LXI. præstat præterire, quam contra
eum, qui futili, insulta, ac tam umbrorsi-
ratione luctatur, majorem pugnam ac
strepitum movere. Etiam si tot tantas
que evomendo exclamaciones lydi
huic meo lapidi haud moram facio, verum
has omnino futilis, non rei, ast chartæ
incremento intervientes considerande
pacifice huic impono.

FINE M.

